

Ann. VI.

Num. XIII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA" Apud BURNS AND OATES
VARSAVIAE POLONORUM VARSVIAE POLONORUM LONDON W.
Rakowskie Przedmiescie, 15. Krakowskie Przedmiescie, 6 28, Orchard Street.

IN ANGLIA

Apud FRIEDRICH PUSTET S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.
NEW YORK CINCINNATI

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTRIONIS

Apud FRIEDRICH PUSTET NEW YORK CINCINNATI
52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

IN CANADA

MONTRÉAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

SINGIDUNENSIS CAEDES	Senior.
« DIES IRAE »	I. Antonelli.
DE CANADENSIBUS ATHENAEIS	G. P.
THEOPHILUS LENARTOWICZ	H. D. V. Pieralice.
PUELLA ORBA (Bohemorum carmen populare)	Fr. Palata.
ALCHYMIA ET ALCHYMISTAE	D. Lascaris.
SATURIO. Comoedia latinis versibus conscripta et intresactus distributa.	I. B. Francesia.
VOCALIS POLYPHONIA AD PRAECEPTA PETRI ALOISII PRAENESTINI	Hersilus,
SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIIS. De recta pronunciatione latinae linguae dialogus	I. Lipsius.
ANNALES	Poplicola.
V. E. CAROLUS NOCELLA AUCTUS ROMANA PURPURA	P. Angelini.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	F. P.

In tertia operculi pagina:

VARIA: Novae laterum dueendorum rationes. - Vitreum oppidum. Forfex.	
IOC.	P. d. V.
EPISTOLARUM COMMERCIO.	A. Secretis.
LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.	

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCIII

Sociis et lectoribus Commentarii nostri vehementer commendamus instrumentum,
quod, rei proprietate sibi vindicata, confecit

SOCIETAS LATIALIS EDITRIX

(ROMAE, Corso Umberto I, 219),

cui machinae nomen est:

SCRIPTOR AUTOMATICUS

(ITALICE "COPISTA AUTOMATICO ,");

quippe inter horas tres quodvis scriptum, qualibet in charta, millies reddat; epistolas, litteras eodem exemplo ad plures dimittendas, consultationes, edicta, invitationes, nuncia, acceptorum et datorum rationes, libellos, lineas vel figuræ descriptas, exemplaria, formas, musicen, et alia.

Societas ipsa fidem praestat Scriptorem hunc Automaticum tribus horis ex uno chirographo mille et ultra exempla exhibere, eaque omnia pariter nitida atque perfecta; — quinque temporis momenta satis esse ad eius usum discendum; — chirographumque celeriter scribendo, non secus ac communi quovis calamo, parari.

Instrumentum, utili spatio disponens cent. 23×34 novum et ex omni parte perfectum **venit libell. 45**; atramenti ampulla (per aliquot menses sufficiens) libell. 4; folia singula ad chirographum scribendum libell. 0,15.

Premium solvi potest cum traditur merx; portatio vero fit ad impendium iubentis.

Una cum Automatico Scriptore paucae eaeque simplices institutiones ad rite ipso utendum necessariae mittuntur.

GRATUITO

quisque habebit et experimentorum specimina et opusculum continens **plus sexcenta** de re iudicia.

Omnia petantur a

SOCIETATE LATIALI EDITRICE

(Romae, Corso Umberto I, 219).

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii **Vox Urbis** administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis sit; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanæ Ecclesiae « Congrationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

In Italia
Lib. 15, M

SINGIDI

UBI quae Sir
patrata nup
lenta illa nocte
mensis diem, in
omnium animos,
fidem. Enormia
mebant immanit
intempesta (siqui
pestiva esse pos
luina saevientiu
daveribus regis
dibilis videbatur.
Europaeis gentili
humanitas?

Ac tamen, qu
festo apparatu,
rum publicarumq
agminibus per
tubasque inflanti
lum in plausu
idonea tantae ex
mati tribuni, ce
tibus militum m
arce pandente fo
inermes, recubar
Quiescentibus op
nex illata est. Qu
Quid mirabilius?
dulenta, egregia
lieres, senes truc
riculo liberata es
eui cedant necess
riae Scipiadum et
et Caesarum, qui
ausus idem, fortu
tio morem geram

Est sors rara pii
O facinus sane dig
musa, quo cum i
Aeneae pietas s
est bene patriae
spendio sanguinis
secentum, nullo c
riare, aliquis vati
minor Moeonide,
dum enim omne

At iuvat rei e
caerimoniae ritus,
est qui non prae
proclamet omnia
iorum, qui

Cum prorepserun
Mutum ac turpe p
Unguibus et pugn
Pugnabant armis,

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

SINGIDUNENSIS CAEDES.

UBI quae Singiduni, in urbe Serviae capite, patrata nuper sunt atrocissima, in truculenta illa nocte a decima ad undecimam Iunii mensis diem, innotuerunt, stupor quidam obruit omnium animos, allatis, lectis minime habentes fidem. Enormia enim, quae narrabantur, opprimebant immanitate sceleris, percellebant hora intempesta (siqua tamen hora sceleribus tempestiva esse possit), consternabant ferocia belluina saevientium; et laniena horribilis in caderibus regis et regiae coniugis ferme incredibilis videbatur. Haec nostra tempora? Hinc Europaeis gentibus mores? Hic cultus? Haec humanitas?

Ac tamen, quasi exigua haec essent, addunt festo apparatu, vexillis per fenestras privatarum publicarumque aedium productis, musicis agminibus per vias plateasque procedentibus tubasque inflantibus, exsultasse urbem, populum in plausus erupisse. Scilicet, maxima et idonea tantae exsultationi causa erat; nam armati tribuni, centuriones, primipili, adiuvantibus militum millibus, Sinone altero in regia arce pandente fores, noctu ad occidendos duos inermes, recubantes in thalamo properarunt. Quiescentibus optimatibus postea eodem ritu nex illata est. Quid pulchrius? Quid honestius? Quid mirabilius? Hac una caede nocturna, fraudulenta, egregia cum parsimonia sanguinis, mulieres, senes trucidati sunt, magno Servia periculo liberata est, patriae regionis gloria erecta, cui cedant necesse est Marathoniae gloriae, gloriae Scipiadum et Pompeiorum, et Marcellorum et Caesarum, quinimo et Catilinae, cui ultimo ausus idem, fortuna non eadem; nam, — ut Statio morem geram —

Est sors rara piis comes, atque ingentibus ausis!

O facinus sane dignum Vergiliana et Homericus musa, quo cum neque Achillis virtus, neque Aeneae pietas sunt comparanda! Optimum est bene patriae facere, et maxime cum dispensio sanguinis dormientium, bona fide quiescentium, nullo discrimine patrantum! Exoriare, aliquis vates, qui talia canas!; non eris minor Moeonide, non eris Marone minor; nondum enim omnes Parnassi laurus aruerunt!

At iuvat rei causas perspicere; nam circa caerimoniae ritus, quibus res absoluta est, nemo est qui non praedicet, qui non laudet, qui non proclamat omnia esse facta prorsus more maiorum, qui

*Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum ac turpe pecus, glandem atque cubilia propter,
Unguis et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,*

*Donec verba, quibus roces sensusque notarent,
Nominaque invenerent; dehinc absistere bello,
Oppida coepérunt munire, et ponere leges (1).*

Nos, ut quisque videt, minime factum extenuamus, sed praeconio, quod meretur, extollimus; nam, si vera sunt publicis narrata diariis, urbs illa, immo gens omnis, et propemodum quantum toto in orbe terrarum est humandum genus, tanto laetabundum facinore hilarescit, et non unius diei gratulationem, sed diuturnam, et cum honore magno et fama in historiis suis pollicetur laudem auctoribus sempernam. Neque Turcae, quorum sub potestate, a saeculi superioris exordio, fuere Servi, aliquid sibi laudis ac decoris ex patratis adscribant. Quum enim a reiecto illorum imperio quinta iam generatio hominum exorta sit, nihil habent, quod suae educationi vindicent, et omnem rei bene gestae gloriam facientibus relinquunt necesse est.

Quenam, inquam, rei bellissimae causa? Quia (dicunt) Alexander rex Dragam uxorem duxerat, regali minime dignam thalamo. O mirifici custodes decoris regii! Ecur tam sero? Ecur non occidistis foeminam antequam duceret? Si nubes obfuscaverat solem, cur non eam opportuno tempore sustulisti? Cur una eum ea solem vos extinxisti? Anne ignorabatis historias, quae docent quid in solio foeminae sint? Quid de Petro illo Magno, Russorum I^o Caesare, qui Catharinam sibi elegit uxorem, humili loco natam, at celeberrimam in solio, nec ipso minorem viro? Quid debet Semiramidi Asia? Quid Aspasiae Pericles Graecia?... Anne ita servus est rex, qui coniugem arbitrio vestro ducere debeat, quam si rex arbitrio suo iuberet vos ducere, tyrannum abominabilem, libertatis oppressorem nominaretis? Num uxorem sibi, prout placet, eligere, capitale scelus eligenti est, et morte, et strage horribili, et viginti vulneribus expiandum? Num qui tyrannorum facta imitantur, tyrannorum exitus non perhorrescant?

*Quod genus hoc hominum? quaeve hunc tam barbara
Permittit patria? (2)*

Siquis aliam ab illa, quae nonnullis, prae-
sertim subditis, videbitur, uxorem duxerit, occi-
datur, vicies ad necem dilaniatus, confossus,
et una cum pariter laniata uxore a fenestris
altissimis deiciatur in atrium, ut sit spectacu-
lum vituperii et horroris, quia....

cupide conculcatur nimis ante metutum (3).

Precor iurisprudentes ut inter leges hoc etiam
ponant praeceptum

*....super iugandis
Foeminis, prolisque novae feraci
Lege Marita! (4).*

(1) HORATIUS FLACC., Sat. I, III, 99.

(2) VIRG., Aeneid., II.

(3) EXN. Fragm.

(4) HORAT., Carmen saeculare.

Causa occisionis immanis, esto. Numquid lanienae? Numquid causa eadem occidendi fratres regiae mulieris? Num satis non erat a finibus arcere? Numquid causa eadem, qua sorores detinerentur? Numquid causa eadem inferendi rapaces manus in thesauris occisi regis, in pecunias et gemmas reginae proprias?... Quot in facinore uno sunt crimina?

Liceat haec de iure et circa iura quaerere. Alia autem in lege, et quidem inevitabili, et quidem sanctione horrenda, hoc sanctum est: « Non occides; non furtum facies ». Quae duo, ut quisque videt, nihil habent commune cum re, de qua agimus!...

SENIOR.

“ DIES IRAE ..

DE Dies Irae, vulgatissimo carmine, eoque pulcherrimo, quod in sacris solemnibus pro defunctorum expiatione celebrandis, saepius Christiani viri exaudivimus, non ultimus scripsit novissime Philippus Ermini, litteris tradendis Romae doctor (1), qui ut suae erga nos amicitiae signum ostenderet, opuseulum ipse tradidit, ut intra nostram spatii angustiam, de re carissima dicere aliqua possemus; quod quidem hodie libenter aggredimur.



Carmina mediae aetatis quisquis legat, eum diligenter interpretatione indigere certum est, ut eorum intimam virtutem omnino persentiat; de cursu enim temporis, iuxta vicissitudines historiae, animorum quoque sensus, et carminum afflatus immutantur. Ea inter maximi ponderis esse putantur hymni sacerorum, quia numquam deinde popularium animorum motus et affectus ab ipsis ecclesiae canticis vehementius expressi sunt. Atqui carmen, quod a primis eius verbis *Dies irae* dicitur, princeps est super ceteris, etsi haud facile aequales nostri exploratam undeque vim eius et virtutem habuerint.

Auctor carminis, ut saepe de vulgaribus hymnis contigit, diu ignotus. Wionius Gregorio Magno illud adscripsit, Prostinius Bernardo dedit, Innocentio III tribuit Ozanamius, Leander Albertus Umberto Ursinio addidit, alii autem aliis, ut Sancto Bonaventurae, ut Augustino Biellensi, ut Thome Aquinati, ut Felici Hammerlein, ut Matthaeo ab Aquasparta; verumtamen, quamvis non certissima res historiae testimonio tradatur, Thomae Celanensi carmen tribuere facile iudicium suadet.

(1) FILIPPO ERMINI. *Il “Dies irae” e l’innologia ascetica nel secolo XIII.* — Romae, MDCCCCIII.

Qui quidem piissimus fuit inter Francisci Assisinatis discipulos; eius immo scripsit semel et iterum gesta quae voeant, ritam primam atque secundam, scripsit et *Miracula beati Francisci*, et « sequentias » duas, quae incipiunt *Fregit rictor virtualis*, et *Sanctitatis nostra signa*; quibus hymnus addendus hic est *Dies irae*, iuxta non interruptam, satisque antiquam opinionem.

Quam quidem ante omnia tuctur *Liber conformitatum*, quem scripsit saeculo XIV occidente Bartholomaeus a Pisis asserens Thomam scripsisse « prosam de mortuis, quae cantatur in Missa, *Dies irae dies illa*, etc. ». Certum est autem nullibi « prosam » inveniri in manuscriptis quae saeculo decimotertio antecedant, quinimo optimam hymni lectionem in Franeiscalium libris esse servatam. Accedit fama tum doctorum virorum, tum popularium, quam arguit etiam sepulchralis Celanensis nostri lapis Taleacotii, ubi vir decepsit. Ceterum opera eius reliqua, eaque certa, et stilo scribendi, et rerum forma eum mortuorum hae sequentia convenientiunt.

Quae, prout satis constat, in duas partes distinguitur, quarum altera Christi iudicium enarrat, altera gemens Deum adprecatur ut veniam pius indulget.

Vulgata vero cantie formam novem et decem habet strophas, etsi superfuerint variae insuper duae, alia Mantuae in templo Saneti Francisci marmore eusa, quae habet strophas viginti et unam, alia a Felice Hammerlinio relata, quae tres insuper addit.

Utraque vero facile appetit impura, atque multis additionibus sive a populo, sive a poetis aucta.

Evulgatio enim hymni lento gradu progressa est. Saeculo XIV vix in Italia hymnus concinitur; sequenti saeculo perpauci libri tum Galliae tum Germaniae eum habent; tantum, post Tridentinum Concilium, Pius V, redacto unico missae celebrandae libro, carmen ibi adiecit et omnium fecit; ante id tempus, saeculo XV ineunte in Breslaviensi missali primum legitur, occidente vero in Lubecensi, in Fergensi, in Hammensi monastico missali, in romano Venetiis impresso anno MCDXCIV, atque in Metensi eodem anno typis edito. Verum vix redacto hymno, eum, certum est, a populo fuisse late usurpatum, etiam citra Alpium iuga, quo tempore, saeculo nimirum XIV exeunte, Hammerlinius novos versus addidit. Serius tamen in missalibus adiectus, ita ut perpaucos Italorum missales, qui eum habeant insertum, reperire datum sit. Verum animadvertisendum est, quemadmodum Cardinalis Bona iam adnotavit, *Dies irae* hymnum, eum iubilatorium reputaretur cantium, in missa pro defunctis haud statim esse adiectum (1).

Facile arguitur contra, carmen in missa priuiae dominicae adventus fuisse insertum, ubi sive Pauli epistola ad Romanos, sive Lueae evangelium de iudicio multa iterant: quam opinionem confirmant veteres nonnulli missales, qui cantium habent inter « sequentias » tempore adventus recitandas.

(1) In *Dies irae* hymno nulla est mentio defunctorum; conclusio enim de defunctis, ut hodie habetur *Huc ergo parce, Deus, Pie Iesu Domine, || Dona ei requiem ||* quippe quae stylum alium redoleat, et diversa rhythmus ratione scripta sit, posterior videtur; quinimo Hammerliniana lectio haec in fine exhibet: *Vitam meam fac felicem || propter tuam genitricem || Jesse florem et radicem.*

At forte popularis pietas eum iterari plures in anno cupit, quem morem deinde decreta Ecclesiae sanxerunt. Sequentiae enim in missa solemnii paullatim loco « pneumarum » vel « iubilantium » vocalium suffectae sunt, quae post gradualem diebus solemnissimis cantabantur (1).

Notherius *balbulus* primus eas condidit brevissimis versiculis, deinde vario pede ac versu irregulares multae scriptae sunt, postea versu similiter cadente certae sunt factae, quas inter est *Dies irae* celeberrima. Cantus hi vero passim aut mysterio commemorando, aut evangeli in missa perlegendi aptati. Atqui eum Celanensis suum confecit, plurimi iam constituti erant; itaque suos inde modos ille sumpsit.

Huiusmodi tituli auctoresque ad quatuor supra triginta recenseri possunt (exempli gratia qui poenitentiam suadent); de universalis iudicio quoque sex supra viginti et amplius habentur.

Illi sunt carmen Saneti Paulini Nolani Episcopi, quod his verbis inchoatur: « Omnipotens, solo mentis mihi cognite cultu » quodque inscribitur *Precatio ad Deum Omnipotentem*; est et *Exhortatio poenitendi* quae Verecundo Africano Episcopo tribuitur; est *Oratio ad Deum* auctore Eugenio, VII saeculo Episcopo Toletano; sunt et *Versus confessionis de luctu poenitentiae*, quos Paulinus Aquileiensis, vel Hilarius Pietaviensis seripsere, atque alia sexenta.

Sunt alterius generis *Hymnus ad exequias defuncti* Aurelii Prudentii, et hymnus de *Adventu Domini* saneti Ambrosii (2).

Quod si temporis opportunitatem quaesieris, qua contigit Seraphico sodali, eique benigno et mansueto, tam tetrum carmen exscribere, memorandi sunt Ecclesiae atque reipublicae luctus, qui Friderico II rege atque imperatore fuere. Acerrimae tunc Guelphorum quae dicebantur et Ghibellinorum factiones, terribilla bella inter Pontificem Romanum et regem, quae in singulis oppidis exarsere. Diro igitur in disertamine, passim Minoritae sodales impetrari se oportere censuerunt pacem a Deo et misericordiam. Supervenire haereses, multiplices quidem et variae Patarinorum, Petrobusianorum, Catarorum, Leonistarum, aliorumque, unde anxiae factae sunt mentes hominum in tot malorum causis investigandis.

Altioris doctrinae viri non pauci tunc repudrantur, post duas, quas autumabant, prope exactas mundi aetas, Dei Patris primam usque ad incarnationem, alteram Filii Unigeniti, mox adesse initia tertiae aetas, quae a Divino Spiritu diceretur, mansura in omne aevum (3). Fatalem autem atque atrocem esse oportebat annum, quo altera illa aetas absolveretur; hunc adamussim, certis suppurationibus innixi, constituere futurum, idest decem post annos a Friderico rege defuncto, quod paulo ante tempus hymnum Celanensis poeta descripsit. Aliunde vero Sybillina quoque oracula, in ipso limine versuum memorata, tempus scripti carminis arguunt, cum annis praesertim MCXC vel MCXCVII editae fuerint et

(1) Atque ideo a « sequendo » sequentiae dictae.
(2) Haec omnia legere est fuse relata in eruditissimis libris sive Ulixis Chevalier, *Hymnologiae repertorium*, sive in G. M. Dreves *sequentis ineditis*, sive in *Patrologia a Migne collecta*, sive denique in Daniel opere de veteribus hymnis, et alibi.
(3) Huiusmodi documenta praesertim Ioachimus Abbas de Monte Amano celebrissimus tradidit.

vulgatae prophetiae complurimae, quae Sibyllinam ambiguitatem ostentabant.

Heic tamen expositionem carminis, quod omnes memoria norunt, non prosequimur, neque fusam recensionem referemus verborum omnium et sententiarum, quae sive a Veteri, sive a Novo Testamento, sive a Patribus in suis versus poeta contulit, quae magna eruditio copia Ermynius prosequitur. Quod ignem attinet, in quem dies terribila solvet mundum, revocat ille quidem eam fuisse quoque fidem patribus prisca iuxta illa Ovidii (1):

*Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
quo mare, quo tellus, corruptaque regia caeli
ardeat et mundi moles operosa laboret,*

eui consonat Lucanus (2):

*Hos, Caesar, populos si nunc non usserit ignis,
uret cum terris, uret cum gurgite ponti;
communis mundo superest rogus;*

atque Cicero ipse et Seneca eadem tradentes, ille quidem a stoicis deducta (3): « Eventurum nostri putant id, de quo Panaetium ad dubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret »; alter vero (4): « Ignibus vastis torrebit: incendetque mortalia. Et quum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus extinguat, omni flagranti materia uno igne, quidquid nunc ex disposito luet, ardebit ».

Ceterum non tam poesis quam et artes omnes liberales supremum mundi incendium novissimumque iudicii terrorem effinxere. Saeculo IV ineunte « arcosolum » quoddam in coemeterio Cyriacae ad Tiburtinam viam Christum iudicem praebet; eadem mox in coemeteriis Domitillae atque Sancti Petri et Marcellini, itemque in Callisti et in Ostriano coemeterio inveniuntur. Haec tamen indiecia paulo mitiora sunt, et non nisi beatam spem electorum ferentia; sed quae Paulinus Nolanus in Fundana ecclesia voluit, ea ab Apocalypsi ingenti metu apparent excitata. Similia in basilica Ravennati Sancto Apollinari sacra, atque in Lateranensi sareophago, et in abside musivo ecclesiae Sancti Cosmae et Damiani. Post haec varie effingitur dies terribilis, heic magis temperato colore, illic magis fusco et tremendo. Mox byzantini artifices vivam magis rem effingunt, ut in templo S. Angeli in agro Capuano a Desiderio Cassinensi abate anno MLX erecto, atque meliori ausu in Buranensis insulae ecclesia cathedrali. Eadem dicas de Sanctae Mariae ad cryptas templo in agro Aquilano, pariterque de Russorum ecclesia Sancti Cirilli, quam Kiew in urbe byzantini opifices aedificarunt.

Perfectior autem res facta in dies, iuxta progressum omnis humanitatis, atque redditu melius non solum corporum motus, sed sensus animalium. Haec posuit anno MCCXXVIII Gislerius in templo Augustodunensi, haec eminent in summa porta templi Persensis in Gallia, atque in cathedralibus templis Burdigalensi, Rhemensi vel Rhedonensi, alibique, in Germania quoque et in Anglia, manifesto hoc artificium consilio, ut adspectu saeuentis iudicis, eulantium damnatorum, daemonunque torquentium animi ad poenitentiam moveantur. A medio autem saeculo XIII usque ad eius occasum optimae iudiciae imagines effectae coloribus inveniuntur. At paullatim deinde, magis quam movendi animi

(1) *Mel.*, I. IX.
(2) *Pharsal.*, VII, 812-814.
(3) *De natura Deorum*, II, 46, 118.
(4) *Ad Marciam* in fine.

studium, cona peritia, ut in atque in Andcello Florentin in Pistoriensi bevetana cathe quod ingenii v

Ceterum, vita funeto, suberrimum in onque laudavere magistri, ut Daster vates nunc francogallus. A operis existimat interpretandi casieratus, ita ut meraverit, idque Anglico, Gallo, pretibus vero sp ultimi musices numeris dig Praenestinus ex Pergolesius, Ast eisecum Durante Haydn. At mai alias mirifice in lioz, Verdius.

Attamen longe cum summorum puli Celanensis

Repetunt per gentes ex Latio, lis Sicania et San colae et feminae quod Celanensis tum et moribus omnia enim aetate valent, - cum ips tantum quae vominant et iusti quuntur.

DE CANADA

Ea loca sunt ingenia optimata, iuventus patriae datura. Et seimus, tanquam et cumula gentium in rari. Cum autem ditione prospera, aliae contra in patientes morae, rum ostenditur progressus idem in humanis rebus, omnem attigisse reliqui esse eurcentur athenaea, quosdam gradus et perfectiora obcepta quasi futuribus et privatae e

quae Sibyl-

s, quod omnes
neque fusam
omnium et
sive a Novo
versus poeta
copia Erm-
inet, in quem
ocat ille qui
tribus priscis

lore tempus,
gia caeli
et,

sserit ignis,
nti;

em tradentes,
(): « Eventu-
anaetum ad-
m omnis mun-
Ignibus vastis
quum tempus
aturus extin-
gne, quidquid

et artes omnes
dium novissi-
e. Saeculo IV

in coemeterio

istum iudicem
iis Domitillae

, itemque in
inveniuntur.

sunt, et non
atia; sed que

eclesia voluit,

apparet ex-
nnati Sancto

anensi sacer-
lesiae Sancti

arie effingitur

to colore, illie

ntini artifices

templo S. An-

o Cassinensi

meliori aus-

thedrali. Ea-

yptas templo

ssorum ecclie-

be byzantini

s, iuxta pro-
redditi me-
l sensus ani-
XVIII Gisle-
ac eminent
Gallia, atque
si, Rhemensi
rmania quo-
rtificium con-
eulantum
ntium animi
o autem sae-
optimae iu-
eniuntur. At
vendi animi

studium, conatus eluet in operibus ostentandae peritiae, ut in Giotti pictura murali Paduae, atque in Andreae Orcagna simili opere in sacello Florentini templi Sanctae Mariae novae, in Pistoriensi vel in Pisiensi coemeterio, in Urbevetana cathedrali, in Xystino denique sacello, quod ingenii vi suprema Bonarrotius adornavit.

Ceterum, Thoma de Celano anno MCCLX vita funeto, superfuit eius nomini carmen celeberrimum in ore populi, ubi adhuc vivit; illudque laudavere uno modo poetae et critics artis magistri, ut Danielus et Carduccius ipse, noster vates nunc princeps, et Gautier Theophilus francogallus. Argunt autem eamdem ubique operis existimationem esse ratam ipsi conatus interpretandi carminis novis linguis multoties iteratus, ita ut Liseus eos ad sexaginta dinumeraverit, idque idiome Germanico, Iberico, Anglico, Gallo, Italo, pariterque Graeco. Interpretibus vero splendidissimum indicium addunt ultimi musices magistri, qui certatim pulcherrimus numeris dignum canticum induere. Aloisius Praenestinus ex his primus, cui successere Pergolesius, Astorga, Iomellius usque ad Franciscum Durante, et Iosephum Franciscum Haydn. At maiora cecinit de re Cherubinius; alias mirifice interpretati sunt Mozartius, Berlioz, Verdius.

Attamen longe perennior quam tanta artifia-
cum summorum prodigia memoria et vox po-
puli Celenensis canticum servabit.

Repetunt per Italiam variis suis idiomatisbus
gentes ex Latio, Umbria, Samnio, ex iisque insu-
lis Sicania et Sardinia, repetunt praecipue agri-
colae et feminae. Causa rei haec una profecto,
quod Celenensis hymnus altissimum canit even-
tum et moribus humanis saluberrimum; non
omnia enim aeternae poeseos argumenta esse
valent, — cum ipso Erminio concludam —, sed illa
tantum quae voces animorum maximas inge-
minant et iustitiae atque amoris verba lo-
quuntur.

I. ANTONELLI.

DE CANADENSIBUS ATHENAEIS.

EA loca sunt athenae, in quibus alantur
ingenia optimis disciplinis, et scientia im-
buatur iuventus operam suam sibi, familiae,
patriae datura. Et quia tantum possumus quan-
tum scimus, tantum autem scimus quantum
aceperimus traditum, quantum postea propria
indole, propria sedulitate, proprio labore au-
gemus et cumulamus, in promptu est singula-
rum gentium incrementa in athenaeis praepa-
rari. Cum autem aliae stent civitates sua con-
ditione prospera utentes, incuriosae melioris,
aliae contra in propositum aliquid melius, im-
patientes morae, gradiantur, duplex athenaeo-
rum ostenditur inde conditio. Atqui nullus
progressus idem est ac regressus; nemo enim
in humanis rebus sibi blandiatur, suadeatque
omnem attigisse apicem perfectionis, nihil sibi
reliqui esse curandum. Hinc optima illa iudi-
centur athenaeis, quae traditas disciplinas, quasi
quodam gradus adstruant ad superiora iugiter
et perfectiora obtinenda, quae a maioribus ac-
cepta quasi futuri fundamenta consernant, qui-
bus et privatae et publicae prosperitatis super-

imponendum sit aedificium, non quae inventa
et collata a patribus et atavis constituant quasi
quasdam Gaditani freti Herculeas columnas,
quas navigio praeterire non liceat, morte com-
minata audaciebus, qui ultra se posse enare im-
pune arbitrentur.

At non eadem vis ingenii singulis, sed iuxta
pagos et regiones provide distributa a natura,
ut ad scientiae disciplinarumque commercia
provocet genus humanum, quemadmodum di-
versis soli fructibus provocat ad commercia
ciborum, et ad ea, quae opportuna sunt neces-
sitatibus vestimentorum, commodis et voluptu-
tibus vitae. Non enim alia et inter se diversa
sunt commercia et commutationes corporearum
rerum, alia commercia et commutationes eorum,
quae ad spiritum pertinent. Si qua differentia
sit, ea in differentia necessitatum spiritus et
corporis ponatur necesse est; lex autem com-
mercia utraque iubens est una, eademque be-
neficia singulis. Propterea quod plura esse athe-
naea non modo deceat, sed interest reipublicae,
ut singularum regionum ingenia, suapte dum
promunt diversa, coniurent et conspirent in
bonum et incrementum commune.

Cavet hoc, et pulehre, et irre, et magna
suorum cum utilitate incolarum cavet Cana-
densis respublica, quae decem septemque athe-
naea in suis regionibus constituit (1), quibus
supremis disciplinis adolescentes erudiantur;
atque haec quidem non altius perscienti nimia
possunt fortasse videri; non tamen viro, qui regio-
nem locis infinitam, qui immigrantes in eam quo-
tidie populi multitudines consideraverit, huius-
modi videbuntur. Adde modo quod, cum quisque
pater familias doctrinas disciplinasque religioni
propriae idoneas in pace addiscentibus cupiat
excolenda, et maximum in studiis colendis sit si
tranquillitate, si absque partium invidia colantur,
tot illuc athenaeis singuli constituta voluerunt, quot
capita religionis essent, cui singuli obsequerentur.
Hinc habes *Lavalianum* in urbe Quebec cat-
holicum; *Regium* (*Queen's University*) in urbe
Kingston, pro Ontario provincia, anglicanum;
sic Torontanum, sic Monsregalese, sic de
ceteris, quae omnia nunc sex circiter recolent
millia numerant; qui discipulorum nu-
merus ingens est, si consideraveris Canadensem
republicam vix sexaginta centena hominum
millia continere, quae centies et ultra totidem
et contineret ultro, et nutritret. At in hisce quo-
quot in disciplinas incumbunt iusta libertate
fruuntur, suo quisque more vivit, nec, sive
puella sive adolescens est, athenaeo qui praes-
sunt in illos curiosiores invigilant; sufficit ut
sit bonus quisque civis, ut det operam studiis.
Siquid gravius admiserint, nam

Iliacos intra muros peccatur, et extra,
discipuli habent in praeside et praecceptoribus
athenaei, quinimo et in sociis iudices suos:
aestimantur enim « Cives Academiae », et ipsa
academia, seu athenaeum, civitas, urbs quaedam
est sui iuris. At singularis in hisce est consti-
tuatio iudicium, quae constat ex delectis iu-
nibus, qui in discipulorum numero sunt, ad
quos pertinet de disciplina sociorum iudicare.
Qui reus igitur praesumitur coram iis accitur
pro tribunal solemissime sedentibus, super-

(1) Cfr. scriptum IOANNIS MAC NAUGHTON in comm. *The Empire Review*, mense Maio an. MDCCCCIII.

ciliosis, gravissimis, quos nec Paulus, nec Mo-
destinus, nec Ulpianus aequaret. Haec studen-
tium Curia « Concursus Iniquitatis et Virtutis »
nuncupatur. Qui igitur accusatur crimine ne-
glectus erga magistros, vel offensionis in so-
cium quemlibet, ab hisce iudicibus examinatur;
audiuntur testes; causa agitur; si reus, poenae
datur; si innocens, absolvitur; legum est sanctio
semel latae sententiae, cui parere necesse est.
Semel in singulis hebdomadis conveniunt; ad
rem opportuna parata est aula, in qua varia,
prout lubeat, seu necessitas postulet, agitantur,
et communis definiuntur concilio et consilio.

Saepe fit ut, aere collato, aliquid ad ornamen-
tum athenaei (puta si ad musea, si ad bibliothecam
pertineat) moliantur, prout superiore
anno discipuli ex athenaeo *Queen's University*
centum et vigintiquinque libellarum millia con-
tulerunt ad aulam magnam aedificandam, cui
nomen, Rectoris olim, Grant imposuerunt. Saepe
hoe aere collatio fundum constituunt pro pau-
pere aliquo e sociis quotannis sublevando; nec
unus tantum huiusmodi fundus exstat, qui vi-
gintiquinque libellarum millibus ditatur; nec
inopiae sublevandae solummodo causa fit; con-
stituit enim interdum et ad praemium dili-
gentissimo, et annuus est, non perpetuus, fruenti;
mereatur, qui voluerit, iudicio condiscipulorum.

Quae cum ita sint, accedunt festi dies cele-
brandi choreis, recitatione fabularum theatra-
lium, orationibus, declamationibus, iuvante so-
ciorum laude, non empta certe, et interdum augentium praemio. Gymnici ludi, athletici,
quidquid exercitio valet ad vires corpori com-
parandas, frequentes sunt. Libertas maxima in
iis datur facientibus; nec se quis nomine pu-
blico facientibus interponit.

Et quoniam persuasio inest, Americanis praes-
ertim, maximi habendum esse iuvenem, qui
sibi necessaria suo labore et industria compa-
raverit, ubi aestivis et autumnalibus temporibus
opera studiorum deseritur, clausis athenaeis,
singuli servitia, negotia, artem colunt, qua pos-
sint pecunias in sequentem annum sibi compa-
rare. Hinc habentur etiam qui in diversoriis
domestici servi munera gerunt, qui emporis,
qui mensis nummariis, qui pingendis parietibus,
tabulis, qui sculpidis marmoribus, lignis, me-
tallis sese addicant; neque hoc ulli vitio vertitur,
labor enim in honore est; scholis iterum paten-
tibus, redeunt ad transtra, et ad praeceptrores
audiendos.

Studiorum, disciplinarum series ea ferme est,
quae apud nos. Latinus colitur sermo et pro-
prius, tum quae hodiernae sunt linguae; grae-
cam nuper aliquantum neglexere, nec illi studet
nisi qui cupit; ceterae debentur praecerto. Item,
pars maxima disciplinarum versatur in physi-
cis, in mathematicis, in philosophicis, in theo-
logicis, in litteris bonis; magni habentur studia
electridis, mechanicae, ut aiunt, geographiae
et historiae.

Haec summa rerum, et quasi compendium.
Si percepsenda singula essent, tot scriberemus
elucubrationes quot essent athenaeorum nomina,
quot scholarum, immo vel quot discipulorum,
quos, ex dictis, summopere landamus, quia in-
dustres, quia solertes, quia impigri patriae orna-
mento erunt, sibi suisque incremento.

G. P.

THEOPHILUS LENARTOWICZ.

Qui apud Hebraeos olim appellati fuere Prophetae, qui Vates, qui Divini, qui Magi, qui Sophetim, apud reliquas gentes Asiae praesertim, hi apud Europae septentrionalis civitates, tribus, nationes earum lingua *Bards*, *Bardi* nuncupati sunt. Quod igitur nomen (considera vocem easus!) Latinis quasi convicium et vituperium erat, — bardos enim eos esse dicimus, qui stupiditate, qui hebeti notantur ingenio, qui dormieulosa iugiter mente sunt et omni verborm vento dextrorum sinistrorum feruntur, ultimo semper qui dixerit acquiescentes, — nomen idem indicat praeclaros consilio, sapientia viros, musicam non minus quam poeticae callentes artem, summis gentium temporibus, divino quodam afflatis instinctu, a Dei providentia dimissos in populum, difficilimos inter easus vicesque regendum admonitionibus, communiendo praecepsis, ornandum insuper humanis artibus et honestandum.

Quae cum ita sint, minime acquiescimus iis, qui decennio primo redeunte ab exitu vitae mortalis, quam Theophilus Lenartowicz, civis Polonus, egit, hunc ultimum Poloniae vatem, *bardum* sua significacione dicentes, appellant. Non enim ii sumus, qui, post hunc, nullum Polonis esse, nullum futurum vatem dicamus; qui litteras nobilissimae gentis, qui artes, qui disciplinas, qui studia interiisse aeternum indicemus. Eo quippe sumus in tempore, quo Polonorum ingenia, doctas quascumque per artes optime gradientia, aeternitatis albo nomina inscribunt, quae numquam a monumentis pictoriae et sculptoriae artis, a bonis litteris, ab architectura, ab aere, a gemmis, a metallis caelantis, a disciplinis humanitatis omnibus delebit vestitas; atque horum nos mentionem saepe fecimus in commentario nostro, sive de Sienkiewicz, sive de Konopnicka scriberemus. Immo cum eo Poloni procedant, ut singularem sibi modum moremque in bonis disciplinis conflent ad antiqua exemplaria sua redeuntes, et quidem pulchra cum laude, novumque quoddam constituent, illa vox « *ultimus* » mendacium ferme praeferre visa est, ideoque nec reddimus, nec quasi titulum ponimus, et ab inscribenda abstinemus. Quinimo eum nobis ista affirmantibus consuetudo aliqua sit cum nobili viro Theodoro Rygier, eiusque uxore et filia, Maria, latini sermonis et latinae gloriae studiosissima, quibuscum familiariter Lenartowicz hic, de quo dicimus, diu versatus est, ab hisce plurima cirea ipsum accepimus, ita ut quae sequuntur non aliena, sed quasi nostra scientia comparaaverimus, atque haec sancta sint ineluctabili testimonio eorum qui viderunt, qui audierunt, qui domestice illo usi sunt diutissime.

Anno MDCCXXII, minime vero MDCCXXIV uti traditur, Theophilus Varsaviae honesto natus est loco, et, egregia praeditus indole, non minus humanis urbanisque moribus cultuque rerum egregio imbutus est, quam, prout aetas ferebat et ferendi compos erat, litteris disciplinisque optimis, a philologia propriae ad cognitionem exterarum linguarum, a graecis et latinis litteris ad iura et leges, ita ut iuris prudens eximus vel ab exordio haberetur. Et legibus dedit operam, et in foro esse coepit,

et ad iura, quae pro tribunali redderentur, vocatus est, ut adstaret a *secretis* iudicibus.

Sed alio abripiebat indoles, et impatiens temporis animus alio agebat. Quapropter, duodecim annos natus, patria e regione migravit, germanicas, belgas, gallicas per terras vagatus diu, cum tamen usquam constiteret, ignotus, et fortassis pauper. Nam exsangui licet non premeretur inopia, — erant enim ad manus quae dant scientia et ingenium, — caeli solique sui extorris et familiari re destitutus plura tolerabat, quae domi passus non esset; pluribus privabatur, quibus ab infantia assueverat. Post haec Italiam, anno MDCCCLVIII, ingressus, Romae fuit. Roma inde Florentiam demigrans, quasi requiem sibi idoneam invenisset, ubi olim Aligerius et Beatus Angelius vitam duxerunt, apud Hortos Oricellarios habitavit medioieri in domo, quae tamen et commorantis et invisentium fama late fulgebat. Saepe enim erant ibi apud Polonum exsulem et Marcuccius ille stylis arbiter, tune theatri dominator, qui poema Theophilii *Stat-sol*, italicice interpretatus est, et Pazzi

Catonianum omnia quiddam sunt austerritate virtutum, Sallustianum omnia redolent stylo formidabili ac tremendo. Ac tamen quoties in rem incidat sermo opportunam, singulare emergit nescio quid solemne et moestum, in quo integra Theophili indoles, ingenium integrum continetur. Magis enim, quam orator et sculptor probabilis, poeta fuit, et sui iuris poeta, et nullius pedissequus, aut imitator. Quae edidit, nusquam hausit, sed suo hausit ab animo, sua mente digessit; et poesis genus novum quodammodo fecit.

Diverso enim itinere, quo Mieczkiewic et Slowacki processerant, Lenartowicz populares traditiones, popularem sermonem, — popularem dico, minime plebeium, — sibi propria veluti ornamenta et munera vindicavit, prout apud Polonos agricolas in usu, fere dicam, quotidiano versantur, quibus addidit disciplinam sublimem, suavitatem blandientissimam, veneres omnes et gratias graecas, maiestatemque latinae severitatis. Andis in carmine illud Vergiliani carminis sublime lamentans, illud candidi Tibulli apertum ac pronum, et plura, quae graeca diceret, delicatissima legenti.

Et quoniam in hisce sumus, operae pretium est nonnulla attingere et referre, quibus iudicium de vate plenum apud lectores fiet; quod tamen ne longiores hodie simus, ad proximum numerum delegamus.

H. DE VECCHI PIERALICE.



sculptor non humilis, quo praecoptore ad statuas marmoreas exseculendas Lenartowicz usus est, tum Theodorus Rygier, etiam ipse sculptor egregius. Nec minus hi eum eo erant, quam ipse eum illis, et amicus, et conviva, et comes gravissimus ubi adasset, desideratissimus quoties abasset.

Sed iam, quae ille typis ediderat, grande fecerant nomen poetae, ita ut e regio Bononiensi Athenaeo amplissimi viri, quales Carduecius, Regaldius, Ceneri, Saffi amantissime complexi sint mediumque habuerint in illa pleiade summorum virorum, quando illic fuit institutor, multa sermocinationibus e cathedra capitulatim docens, moderatore studiorum supremo invitante, de illustribus Poloniae viris, de uberrimis Slavorum litteris. Atqui sermones illi proelo vulgati sunt, et quiddam olent, ut Eduardus De Pradil scribit, dignum aetatibus heroicis, dignum animis Homericis. Nihil illuc quod animos, affectus, sensus, mores depravet, nihil illuc quod molle, quod pertineat ad effeminandos mores, ad debilitandam virtutem;

PUELLA ORBA.

(Bohemorum carmen populare)

*Dum nox atra polum tenet,
dum terrae glacie dumque rigent gelu:
quae per busta vagans meat
et fundit gemitus moesta puellula?*

*« Audi, mater amabilis,
questus sollicitos filiolae tuae!*

*Dum te busta tenent, domi
cheu! dira mihi iussa noverea dat.*

*Istius laceror probris
expollorque foras: nec foget amplius
orbam dulcis amor patris.*

Desertam, genetrix, protege me, precor!»

*Moesto rore madent genae
obrepitque sopor mollibus artubus.*

*In matris tumulo caput
ponit: praebuerat candida nix torum.*

En! Quae somnia somniant?

*Matrem luminibus conspicit et bibit
blandos aure sonos: « Meum
amplexum propere iam pete, filia! »*

*Dormit dulce, nec amplius
somnos excutiet sol remeans polum:*

*ad matris tumulum nova
praebebunt requiem busta puellulae.*

Latine vertit FR. PALATA.

ALC
C HAM, Aegypti litteris Ad « terra Ch post obitu et posteri constituerunt « Chamiam » viegant defluentes, lerent, sci Chamiam, el, seu al scientiam mine: Alch sacerdotes, dendim omnes sationem, ha sam, qua nonnullas eupentur, q sint illi, directius, qui posse mira nonnulla m

Notabo iter duas in Aegyptias. addixit, Aerebus, quae astronomica quid adstru usque ad quoddam sy catalogo des aeternam si paravit.


Quidquid tingunt, qua Pellucidae purissimaeque sive quod te sique soli puris admis minatis alie pristinum an qui Anio se vel virides parent. Sie sciplinis ex recta, ratione per discipul per pervenerint, sive nescio excessus ab facile credat una exortatio daeos hodie nunc est? tres sunt. Q barent histor fides uti fia ea disciplina biisque Cham bitiosum super copulavit, p divinitate, conve

ALCHYMIA ET ALCHYMISTAE.

CHAM, qui et Chamos, a prisca traditur litteris Aegyptiorum pater; hinc saepe in sacris litteris Aegyptus et quae circa late regiones « terra Cham » appellantur. At, haud multo post obitum huius protoparentis, eum nepotes et posteri quasi Deum coluerunt, et simulacrum constituerunt in templo, idolumque vocaverunt « Chamos ». Qui sacerdotes huic Numini serviebant doctrinas coluerunt a Noetica domo defluentes, propterea quod, cum in illis excellerent, scientiam hanc ipsam dicere placuit *Chamiam*, seu *Chimiam*, cui voci addita syllaba *el*, seu *al* (idem enim sonat ex *aleph*), indicavit scientiam divinam Cham, seu Chamos, uno nomine: Alchymia. Qui vero consideraverint apud sacerdotes, delubraque fuisse tunc temporis mendendi omnem artem, fuisse et remediorum dispensationem, habebunt integrum, meo iudicio, causam, qua vel nunc pharmacopolea apud gentes nonnullas « Chemistae », et « Chemistes » nuncupentur, quum et « Alchymistae » nominati sint illi, qui disciplinis naturalibus, dicam rectius, qui viribus naturalibus occultis freti et posse mirabilia facere iactabant, et fortasse nonnulla mirabilia patrabant.

Notabo insuper scientiam duplex inivisse iter duas inter gentes, Chaldaeas nempe et Aegyptias. Illa se astris inspiciendis praesertim addixit, Aegyptia vero naturalibus praesertim rebus, quae propter solum sunt, neque tamen astronomica reliquerunt inculta; nam scimus quid adstruxissent Aegyptii de Sothiaco anno usque ad Ptolemaeum illum, qui absolutum quoddam systema astronomicum finxit, stellas catalogo descriptsit, pluraque confecit, ex quibus aeternam sibi famam et recordationem comparavit.

Quidquid est, in humanis rebus eadem contingunt, quae in fluminibus videmus accidere. Pellucidae lymphae primo e fonte erumpunt, purissimaeque bibuntur. Eaedem longo decursu sive quod terras erodant et sabulis, arenis, crassique soli partibus imbuuntur, sive quod minime puris admisceantur rivulis, et foeditate contaminatis aliqua fontibus copulentur, nitorem pristinum amittunt, turbidae flunt, et qui Tibris, qui Anio septifons purissimi sunt, iidem postea vel viridescentes, vel albantes, vel flavi apparent. Sic humana omnia, a philosophicis disciplinis exordior ad artes, quae initio bona, recta, rationabilia traduntur et coluntur, ubi, per discipulos, ad tertiam aetatem, vel quartam pervenerint, sive malitia, sive ambitione mala, sive nescio qua caecitate sequentium, ita in excessus abeunt plerumque contrarios, ut non facile credas utramque scholam et disciplinam una exortam esse ab origine. Quid inter Iudeos hodiernos, Mahumetanos et Christianos nunc est? Et ab una Abrahami domo tamen tres sunt. Quid, nisi hoc sanctissimae compobarent historiae? Laboraret profecto traditionum fides uti fuisse tales crederemus. Neque aliter ea disciplina se gessit, quae in sacrariis, coenobiisque Chamos tradebatur, et fortasse tunc ambitionis superbissimumque illud *al* sibi adscivit, copulavit, praefixit, ut haberetur divina, quando, divinitate, scilicet veritate, abdicata et repudiata, conversa est ad fabulas, et posse se dixit



« Alchymista ». (LUCAE EX BATAVIA tabulam in Romana Academia S. Lucae asservatam photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

quae impossibilia rebantur. Haud aliter apud Graecos tune, τοπία quae primum, φύλακες, id est sapientiae desiderium et amor et studium, dici copta est, quando, superbia sternente iter hominibus, non hi scientiae studebant, sed proprio nomini, qui communis refugiebant a scientia, ne ceteris haberentur aequales.

Itaque sacerdotes illi Chamistae postquam plura incubere in remedia, quibus morbi arcerentur, plura experientes, vix nova febrium terris cohors incubuit suis, ubi invenerunt medlam, qua pestes dimoverentur, iure quidem sanetissimo, ea quae siverunt quae corpora humana a morborum incursu et impetu conservarent immunia; non enim tam ineundum est a damno revalescere, quam nullum in detritum incidere. Hinc ea medicinae pars venit, et sponte venit, quae incolumes faceret homines, quae vires non modo restauraret amissas, vel debilitatas, vel fractas, sed eas ita statueret, ut integrae starent, et quassari non possent, aut saltem labantes et fatigentes non apparerent. Inde fuerunt omnia faciei medicamina, quorum usus praesertim apud pecuniosas invaluit foeminas, hinc aphrodisiaca omnia: ne progreddiaris oro, candide lector, nam limina mortis patent, et venena ex herbis quaeruntur, et statuto lunae tempore quaeruntur, et certis sub invocationibus, inconditisque vocibus aveluntur. Quid si admisceatur tabum e cadavere? Quid si puer fame conficiatur semisepultus, ut inde gutta mortifera arido extrahatur a corpore? Habes iam omnia deliramenta sagarum, habes quae misceant aconita novercae, habes quae Locustae Neronibus comparent.

At dum haec labuntur in peius, non defueri viri, et erudit et a sceleribus longe abhorrentes, quibus ex mixtione elementorum, ex coacervatione quarundam rerum, ex repetitis conatus nonnulla apparuere mirabilia, et haec sunt sequuti, dum plerique aut nimiam in spem crescentes, aut desiderio divitiarum contabescentes de transfigurandis corporibus, de communis cogitant. Duo tamen humanum genus, prouti antea, prouti nunc etiam, torquebant: auri sacra fames; desiderium iuventutis aeter-

nae. In haec invenienda incubuerunt; hi dum Indianam quaerunt in Americam incurruunt; illi dum se habere utrumque fatentur, fraudes adstruunt, et alieno auro potiuntur. Primum illud pharmacum lapis philosophicus dicebatur, quem qui ferret numquam senesceret, incolmis a ferro, a veneno, ab insidiis abiret, secreta omnia nosceret; alterum, scilicet commixtio quadam et proportio metallorum et rerum, quae torrente igne commutarentur in aurum, quadam ex parte cum lapide illo philosophico conveniebat, quadam vero ex parte cum scientia naturalium rerum et consideratione stellarum inclinantum, vel coeuntium, ut opus conficeretur.

Atque hic novus alchymistarum modus, nova conditio alchymistarum habetur. Ipse enim eodem tempore est quid necessarium apud singulos reges, principes, dynastas; regia nulla, arx nulla est, quae ipso carere possit; datur sapienti viro domus singularis, turrim habet a qua spectetur astra, servos habet audientes dicto qui herbas, qui aquas, qui fructus quaerant, et affterant singulares. Ipsi de praeoscendis procellis, de terraemotibus, de fulminibus, de turbibibus cura est; ipse tuebitur domini salutem, dominae pulchritudinem, pharmaca suppeditabit utrique opportuna; quinimo et potentissima venena, si dominii leges talia tulissent. Quid sit alchymia quaeris? Haec de re tradit Ioannes Baptista Birelli Cosmae Mediceo: « Alchymia est ars, quae humanos opibus propemodum infinitis ditat, quae philosophia iure dicitur, laetitia animorum, angelicae splendor sapientiae, medicinae mater, philosophorum desiderium, thesaurus inexplebilis, exterminatrix moeroris, virtutis comes. Laetificat iustos, cum bonis habitat, detestatur improbos et scelestos. Super omnibus regnis regina, virtutem ex herbis exprimit, et medicinae per distillationem tradit essentias, omnesque artes iuvat, et ab ignorantia relevat, praecepit divini Hermetis, (qui Aegyptius est!) ». Post haec enarrat quae alchymistae clarissimi fecerint, qui alchymiae praecepsis usi, metalla quomodo purgarentur, invenerunt, qui vini essentiam (*alcool*), Raymundo Lullio faciente invenerunt, quo fer-

me mortuis vita redditur (atque hinc et apud nos *Acquavite* = aqua vitae vocatur), qui aurum potabile, alexipharmacum princeps et *nepente* singulare confecerunt. Prosequitur inde enumerans lithargiria, praecipitatum, « sublimatum », et sexenta, quae nemo quidem negabit. Addemus et nos Brandt Hamburgensem invenisse phosphorum, Schvartz pulverem pyricam.... Et sic de pluribus.

Quid inde? Ab alchymia, quae primum reteta, veraxque fuerat, et circa sananda corpora, vel tuendam incolumitatem et iuuentutem, et vires, et pulchritudinem versabatur, alchymia illa mendax, et fraudis plena et beneficiorum nata est. At nemo negabit etiam inde natam alchymiam, quae rerum vestigians elementa, plurima tentans, illa adinvenit quae nemo sperabat, quaeque nunc alchymiam ipsam ad sua reportarunt exordia, qua usi docti viri, plurima generi humano constituerunt, quibus nunc augentur artes, divitiaeque comparantur, quum nullae penitus modo sint artes, quibus chymica vires non suppeditat suas.

D. LASCARIS.

VOCALIS POLYPHONIA AD PRAECEPTA PETRI ALOISII PRAENESTINI.

SECUNDUM musicæ sacrae genus, quod ex primo proficiscitur (1), quum nihil sit aliud, nisi ampla illius evolutio atque perfecta expli-

(1) Cfr. num. XI.

catio, est vocalis polyphonia, sive harmonicus plurium vocum concentus nullo musicorum instrumento coniunctus. Huiusmodi cantus Ioanni Petro Aloisio domo Praeneste debetur, qui musicam sacram in rectum reductam, exquisita ac pene dixerim divina arte auxit perfecitque. Sed antequam de hac vocali polyphonia verba faciamus, aliqua sunt notanda, quibus latior patet via ad finem assequendum.

Paucos forsitan ex lectoribus praeterit a quarto ad decimum sextum saeculum post Christum natum, id est a S. Ambrosii tempore ad Petri Aloisii Praenestini aevum, musicam ex incunabulis, ut ita dicam, egressam plane perfecteque adolevisse: longe enim lateque in Europa musicæ institutæ erant scholæ, præclarissimique floruerant viri, quorum aeri ingenio plura excogitata in sonituum arte atque perfecta esse accepimus, uti « nota quadratae », pro obscuris invertisque « neumis », temporis mensura ac cetera id genus. Exstiterant iam vagi illi cantores, qui vates erant iidemque musici, quique melos certis temperatum legibus excogitaverant. Exstiterat insuper societas cui nomen ex parvis ministris (italice *società dei menestrelli*), cuique plurium instrumentorum, fidium præsertim, debetur inventio. Denique multos abhinc annos maxime florebat, perfectionisque in dies iam attingebat fastigium ea musicæ artis pars, sive disciplina, quae præcepta tradit ad plures cantus inter se ita sociandos, ut ex ipsis quid unum harmonicum atque iucundum proficieantur.

tur, quaeque italica voce *contrappunto* appellatur.

His omnibus factum est ut populi auditus atque intime sentiendi virtus, nativa ruditate sensim expuncta, musica quadam instituerentur disciplina, qua Gregorianum fastidirent cantum et exquisitorem vehementissime appeterent. Quare necesse fuit musicæ sacrae magistros, Christifidelium ingenio indulgentes, ita religiosos instaurare cantus, ut suavius blandirentur auribus, iidemque politiore cultu nitentes menti præberentur. Sed, ut ait Horatius,

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque negavit consistere rectum.*

Modum autem et fines longe sunt praetergressi isti musicæ sacrae novatores: re quidem vera neminem latet religiosum cantum id sibi præstitutum habuisse, ut christicolarum animum ad Deum caelestiaque contemplanda sapienti vocum lenocinio ac virtute excitaret atque extolleret. Iam vero nobilissimum musicæ sacrae finem immoderato sui amori novatores posthabentes, nihil aliud curarunt, nisi ut musicæ artificii intempestiva ederent documenta ad laudes captandas. Idque potissimum peccarunt Belgæ, qui cum suaviter canendi arte, tum ea perdifficili maxime callebant musicæ disciplina, qua plures voces, ut diximus, harmonico nexu inter se sociantur ad quid unum iucundum efficiendum.

(Ad proximum numerum).

HERSILUS.

2]

SATURIO.

Comoedia latinis versibus conscripta et in tres actus distributa.

II.

CALLIDORUS, mox CHREMES.

CALL. Abiit tandem tempore opportunissimo! Ecce nam pater venit: recedam paululum. Quam moestus ipse! Qui mili dolor! (1.) Ch. (2) Ex quo profectus Roma est frater peregre Nullo procumbunt modo in me miseriae, Siet cum senectus ipsa iam infirmitas. Caput dolet nimis, caligant oculi. Labant genua, miser! laboro stomacho. Ehu! quae malorum multitudine perstrepit. Peius sed malum, dicam prope maximum, Absens nunc frater me dolore lancinat. Ubinam gentium vivat ipse, nescio; Quid rerum gerat, quando rebitet in patriam, An ipsi res cunctæ procedant prospere... Mihi nam larvae terrificant umbratiles. Adhuc amieis litteras, hospitibus Dedi, sed frustra! Nunc urgent nos plurima Heic domi: multis premor negotiis, Meumque saepius descripsi in tabulis Nomen! Qui faciam cum Octobres proximunt iam feriae probe, cum nec teruncium Mihi sit, ut solvam danistæ debitum? Sed ille dives... Ne mors alibi occupet Eum di faxint! provideant pueri Quem mihi commisit profecturus pater! Sic me dii amabunt, uni ut illi consulam! Enim nec patrem potuit cognoscere, Foret cum parvulus nimis quo tempore Mutandis mercibus, pater ivit Graeciam.

(1) Ad posticam scenam suspenso vestigio secedit.
(2) Progreditur tenuis in scenam, paululum ob senectum curvus, et baculo innixus; voce querula et cunctante.

CALL. (1) Cur te conspicio lacrymis madidum?

Cur te dolore nimio nunc maeiras?

Labefactari, destrui te miseriis

Protenus iamdiu, pater alter, sentio.

Desine, quæso, domum, pater, implere questu-

[bus].

Ibo ego patrem peregrinus queritas,

Ne te dolentem videam tantummodo.

CH. Puer, quid dicas? Lacrymas vix teneo

Tuam cum miseram sortem considero.

Haud patiar meam linquere te domum

Hue illue patrem queritare cupide.

CAL. Verum qui possim te videre in dies

Mea causa confici?

CH. Laetior pol ero!

Modo si probus sis, multumque ad gloriam

Et virtutem tendas, si patris imaginem

Tui retuleris, fuit qui sanctissimus.

CAL. Fuit tu dies? Obiti nempe pater?

CH. Quam ingenuus puer! Vivit, vietusque erit!

Ivitne Dinacium puer quo miseram?

CAL. Ivit, pater!

CH. Reete! Spero consilium

Meo quod valeat mederi pectori.

Vade nunc intro.

CAL. Vale! Te dii sospitent! (2)

CH. Et tu vale, fili patris optimi!

III.

CHREMES. (3)

Qui amor iuveni, candor, ingenuitas!

Quibus angustiis premar nunc ego miser,

Meis heu numquam noverit delabi.

Prius sed ego redigar ad saeculum,

Eum quam repellam meis ex aedibus.

Diis ago gratias, quas valeo maximas,

Qui misero mihi amicum donarunt optimum.

Hunc compellabo, eius consilium sequar.

(1) Prodit.

(2) Introreditur.

(3) Moestus et morosus.

Namque boni amici duco bono amico obsequi.

Atque illi, si quid opus est vel re, vel bono

Consilio opitulari! Id amici officium credo.

At ecum ipsum. Quam præsens auxilio fuit.

— IV.

CALIPHO et CHREMES; deinde DINACIUM.

CAL. Salve, Chremes!

CH. Et tu, expectate Caliphon!

CAL. Valen'? Valuistin'?

CH. Nec valeo, nec valui,

Caliphon!

CAL. Laboras mo:bo, an sunt incommoda.

CH. Senectutis?

CH. Animi aegritudo me senem

Conficit.

CAL. Unde istaee aegritudo?

CH. A Theeuropide?

CAL. At quomodo?

CH. Longa res est et fastidio

Plena.

CAL. Id nihil refert. Compendium face!

CH. (1) Dinacium!

DIN. (2) Quid vis, here?

CH. Hue affer sellas duas.

CAL. Quid opus, Chremes? (3)

CH. Ego senex sum, Caliphon.

Sede.

CAL. Ut iubes.

DIN. Numquid aliud vis, here?

CH. Ut eas.

Intro, atque accures ibi pensum tuum.

DIN. Ut lubet. (4)

CH. Iam animum advorte mihi totum Caliphon.

CAL. Incipe.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA

(1) Ad forem versus, elata voce.

(2) Accedens.

(3) Dinacium illico cum sellis.

(4) Redit ad sua.

Servior
Maur
men

Q UAE
superius
dictum
res XX
morare.

Alexa
sumpta
ditate,
legati m
militum
dum era
armorum
omnis r
machina
voabant
turum ta
haereden
nendi ian
hac falla
trem ips
alterum e

7]
SELEC
DE REC

Nam sus
rus in ha
melius en
quia eodem
“ diversa
autem son
latius aper
nihil in la
cepi) recte
quorum est
revera non
phthongum
pro illa a
zvibzvz; n
magis prom
solum eode
illa Duillii
nec minus
stis: TRIU
ete. In lap
TEIS. IN
Libri eti
omneis, na
hoc prou
ad Poetū
est: cum l
corum illu
sim. Usita
cum seors
sed magni
conati sun
surrexere
mori et n
omnes, si
in I litter
Prior tenu
labii cum
paullum re
iter, etc.:
fusces, su
vius de is
num non

ANNALES.

Serviorum regis clades — Gallica victoria in Mauritano; Anglorum in Somalia discri-
men — Consistorialis Vaticana solemnitas.

QUAE, vix nunciata Singidunensi clade, ex cultarum omnium gentium senserint animi, superius in Commentarii huius fascieulo satis dictum est. Nobis itaque id unum reliquum, res XX saeculo paene incredibiles commemorare.

Alexandrum regem Serviorum, non tam ex sumpta paternae inimicitiae et odii haereditate, quam ob initas eum Draga, Mascin legati militum vidua, nuptias, in subditorum, militum praesertim, iram venisse satis vulgatum erat; novissime autem auctum praeter modum erat odium ob abrogatas regio decreto et armorum vi leges regni maximas, a quibus omnis res publica pendebat. His accesserant machinationes a regia muliere pertentatae: revocabant in mentem eam sororis filium nasciturum tamquam suum regi afferendi et populo haeredem regni, mentita foecunditate, imponeendi iam consilium habuisse; addebat, prima hac fallacia fracta, ipsam regi suasisse, ut fratrem ipsius Nicodemum, in Serviorum exercitu alterum e subcenturionibus, ad successionem im-

peri designaret, iamque rem ad optatum finem perventuram.

Inde inter tribunos centurionesque arctissima secreti lege est inita coniuratio, ut non modo regem eiusque uxorem, sed genus omne utriusque familiae, sed et praecipuos reipublicae magistratus e medio tollerent. Qua constituta, III Id. Iun. coneubia nocte legiones ballistarique Singidunum urbem tacita velut obsidione munire inten-
tum, dum selecta e sexta legione manus, ignara plerumque caedis futurae, ad regales aedes (*Konak* vocant) adducuntur. Panduntur militibus portae a proditoribus, cohors invadit atrium praeceuntibus centurionibus tribunisque, obvios praetorianos vigiles trucidat, ad regium decubitorium recta via ascendit. Varia deinde ortae caedis enarratio, quam certo nemo umquam sciet, nisi ipsi coniurationis participes, qui secreti iusurandum numquam profecto frangent. Incertum itaque num regi oblata sit abdicationis charta, incertum num ille primus in obvenientem centurionem praetorius custodiendo delectum mantiballista impetum fecerit, incertum utrum decumbentes rex et regina an fugientes necati sint: id unum, idque horrendum scimus, eorum corpora crebris ictibus transfossa e fenestrarum in atrium fuisse deiecta. Reginae fratres, a custodia mi-

litum in suis domibus apprehensi, dum vicissim sese amplexantur una interficiuntur; Zinzar Marcovitch, qui Serviorum ab externis negotiis erat, cum filia innocente puella una eademque hora graviter vulneratur. Alii simul et alii sive in suis, sive in regalibus aedibus per nocturnam illam cladem inermes, non obstantes inguluntur; nonnulli vero ex praesidiis militum, audita immuni caede, sponte sese morte muletant, ut suspicionem de favore in regem effugerent.

Eversis hoc ausu Serviae rebus, Avaeumovic, viro prudentia et doctrina insigni, imperium delatum est, ut ipse legatos populi advo-
caret et habitis comitis rex alter eligeretur, quod quidem brevi factum est, cum omnium suffragia Petrum, e Karageorgevic regia stirpe Servia, e patria exsulem atque Genevae degentem regem designaverint. Ad eum itaque missa statim legatio ut regnum ei delatum nunciat, eumque Singidunum remeantem comitaretur.

Interea de regno collato Petro gratulati sunt non modo Russorum Caesar, sed Austrorum quoque Imperator, qui tamen ad sicarios regios digna poena rependendos aperte illum hortati sunt. Faciet?

Inter omnes valde dubitatur; planum est enim omnem vim in sicariorum manu positam esse.

paulo Victorinus: "Sunt qui inter V quoque et I litteram supplantant deesse nobis, quae pinguis quam I, exiliinquam V sonet. Sed pace eorum dixerim, non vident Y litteram desiderari. Sie enim gylam, myserum, syllabam, proximum dicebant antiqui ... Ube-
rius, sed nugaci, quia de scriptura ista, quam ad-
firmat, vetus ei lapsus aut liber numquam aderit subscriptor. At sonum tamen indicat vere et clare Priscianus, seu quis alius auctor libelli non indocet *De constructione Virgilianorum versuum*, universe notati in omni dictione, cui initium a vi sillaba, pronun-
ciari hanc ut Y graecum, sequentibus d, vel r, vel s,
vel t, vel x. Haec enim eius regula. Et dat exempla video, videbam, virago, vitium, vir; et plura vide hand scio an usquequa vera. Nam ad grammati-
corum liras si plectrum hoc linguae semel attemperam, quis finis? Valde delirem ipse, nec Mercurii omnes aut Lares reduxerint me in viam rectam.

IX.

O me sistit et poseit sibi suum sonum. Quem aio duplice. Adsonat enim O magno graecanico et eorumdem O exili. Grammatici vulgo attestantur, et Ausoni-
nius, ut ego eum lego versu isto:

Ω quod et O graecum compensat Romula vox O.

In tritis libris aliter qui Y graecum ingerunt, scriptura incerta, immo vero, ex vi et potestate litterarum, falsa. Nam quis Y cum O comparavit umquam? Migrant interdum, scio, altera in alteram, sed non hoc evicerit eiusdem eas soni. Lugdunensis scriptus codex (eius filo multos poetae eius labyrinthos feliciter diu Scaligeri ingenium evasit) habet: "Ω quod et eoy ... Ex quo ille: "Ω quod et .., me tamen lente approbante. Non enim verum plane O latiale valere quod .. hellenicum; malum quod et O graecum. Quoniam ea constans grammaticorum est dictio, O nostrum aequiparare duplice Graecorum, magno et minuto. Crasse autem efferebant O illud crassum, sive maius, sic ut in sono ipso eluceret vis eius duplex. Nam diebant poöpulus de arbore, voöcem, oöram, praetörem, et talia; propemodum ut nos Galli foy, voix, noise. Vos Belgae (ita docuere me tui populares) melius; qui et scribitis pariter et effertis broot, panem; schoot, sinum; boom, arborem. At casci tamen Latin sublevant in scriptione nonnihil Gallos; qui ipsi in dativis casibus populoi romanoi, et similia exarabant, efficiendo huic longo sono. Victorinus et alii,

testes. Neronis impius, sed non insitus iocus, stabiliendo huic duplice effatu: qui de Claudio mortuo identitem "monrari eum inter homines desisse illud" debat, (1). Simul et adulgatum illud adspiciens, quo morari in vivis desississe a mora, homines εὐχέρως dicimus, et eadem fatuitatem Claudio opprobrians, sono ipso pingui et gemino, quo ostendebat verbum hoc se formare a mooro (2). De hac vocali, quoniam res minime est turbida, sermone meo cur illustrem? Versus tantum Terentiani Mauri licet addam firmando totius rei hosce:

Ω graiugenum longior, altera est figura:
Alter sonus est et nota temporum minori.
Compendia nostri meliora crediderunt,
Una quoniam sat habitum est notare forma,
Pro temporibus quae geminum ministret usum.
Igitur sonitum reddere cum roles minori,
Retrorsus adactam modice teneto linguam,
Rictu neque magno sat erit patere labra.
At longior alto tragicum sub oris antro
Molita, rotundis acut sonum labellis.

X.

V mihi superest, per quam quinto et ultimo hoc spatio (Domitianus scitum ita voluit) decurrat. Sonores ei praecipu duo, latus et exsilis; ille qui εὐγεεum plane et plene exprimit, iste qui Y eorumdem. Victorinus ab hac mente: "V similiter posita est pro brevi et pro longa ... Et magnus Varro sic discriminat clare, in his verbis: "Quidam reprehendunt quod PLUIT et LUIT dicamus in praeterito et praesenti tempore. Falluntur. Nam est ac putant, aliter, quod in praeterito V dicimus longum, PLUIT, LUIT; in praesenti, breve. Ita in venditionibus lege RUTA CAESA ita dicimus, ut V producamus ... Hoc enim vult pluit, luit, in praesenti tenuiter efferti, in praeterito plovit, lovit. Sonum hunc crassum nemo melius expresserit Parasito illo apud Plautum, cui quaesitus hinc iocus:

— Tu, tu, istie, inguam, vin affiri noctuam
Quae tu, tu usque dicat tibi?

Comparat enim ecce illud tu cum nocturno gemitu, quem ton esse omnes scimus.

(Ad proximum numerum).

I. LIPSIUS.

(1) Seez, c. XXXIX.

(2) Id est "stulto".

★
O utinam ne res, ob nefarium exempli contagium, ad alios populos diffundatur! Novissimi enim nuncii tradunt valde id esse Bulgaris per timesendum, quos inter apertam fuisse coniurationem dictitant novissime initam, ut Ferdinandum principem deponerent; at ea vicepsim principem cavisce, quae omnes huiusmodi minas vanas redderent.

★
Africana bella mentes Anglorum Gallorumque praesertim ad se his diebus quoque verterunt. Ad uilescendam enim iniuriam Ionnart, Gallico legato, allatam, de qua in superiore numero mentionem fecimus, O'Connor duee moderante, legiones ad fines Mauritanorum una cum tormentis bellicis et equitatu rapido eurus congregantur, mox in agrum hostilem descendunt, oppida depopulatur: Mauritani castella muniunt; at missilibus tormentorum ignitis brevi abrasa munimenta corruunt, populus late caeditur, cogunturque quam cifissime hostes in ditionem venire, ni suas omnes civitates pessumdatas a Gallis habere maluerint. Figuginos habitatores itaque in ditionem exceperunt Galli foedere renovato, ne amplius in posterum securitatem Gallicae coloniae sint perturbaturi.

Anglis contra in Somalos bellum gerentes, non aequa lance fortuna arridet. Nam post Cobbe tribuni legionem in insidiis fractam, aquae defectu laborare late eorum milites numeratum est: neque Manning praefecti militum, neque ullius tribuni sunt iamdiu litterae exceptae, quae de eorum sorte doceant; aliunde contra innotuit Arabum regulum cum ingenti equitatu per terram suam late discurrere, idque etsi novissime Aethiopes ipsi milites, eius copiis ocurrentes, cladem non exiguum intulerint. Prohibitos itaque commeatu, circa Anglos et Aethiopes et ad inertiam coactos equites arabes citissimi colludunt, et per gravis cura est de eorum, non dieam victoria, sed saltem salute.

★
In urbe habita consistorialis sessio ad Vaticanum, ut novi Episcopi deputarentur, utque adlectis in collegium senatorium Ecclesiae novis viris purpurea honor conferretur. Qui quidem Purparati Patres sunt: Antonius Fischer, Archiepiscopus Coloniensis; Aemidius Talianni, Vindobonae Pontificis legatus; Andreas Auti, legatus ad Lusitanos; Beniaminus Caviechioni, Sacrae Congregationis Sacri Consilii Tridentinis deeretis interpretandis *a secretis*; Sebastianus Herrero y Espinosa de los Monteros, Archiepiscopus Valentinus; Ioannes Baptista Katschthaler, Archiepiscopus Salisburgensis; denique Carolus Nocella, Patriarcha Constantinopolitanus, de quo *Vox Urbis* habet quod peculiariter gaudeat, quemadmodum ipsi, lectores, inferius videtis.

POPULICOLA.

V. E. CAROLUS NOCELLA AUCTUS ROMANA PURPURA.

GRATUM est eximia voluntatis et obsequii significacione prosequi virum, quem ad amplissimum dignitatis gradum, non decursus

ille communis honorum, sed plane spectata virtus ac nobilissima latine dicendi facultas reservavit. Hic autem eventus eo iucundior quo rarius; quippe nondum obsolevit praejudicata vulgi opinio, quos litteratos vocant, eos prudentia rerum gerendarum et solidiore doctrina carere. Testis tamen historia est, ab iis optime regi civitatem, qui artes humanitatis, eloquentiae praesertim, aut excolunt ipsi, quemadmodum *auctorum ille summus* (1), a quo nomen mutati sunt principes, aut gravissima quaeque geri per scriptores excellentes volunt. Est autem, eur ita sit, in promptu ratio ex Tulliana sententia: « Ut in vita, sic in oratione, nihil est difficileius quam quid deceat videre »; ex quo illud consequitur: « Eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum est sapientia » (2).

Sed ut ista omittamus, dura plerisque et intellectu difficultia, mihi quidem, cui contigit Carolo praecoptore frui eiusque magisterio succedere, — tricesimus iam annus effluxit — mihi, inquam, cogitanti quomodo memoris animi possem testimonium aliquod exhibere, oblata occasio est ab ipso Commentario *Vox Urbis*. Nam socii laboris in eo conscribendo, quum valde cuperent purpurato Patri gratulationes et vota promere, cuius haud semel scriptis hae fuerunt exornatae paginæ, me talium officiorum interprete uti voluerunt.

Quandoquidem vero et cum honore eminentissimi viri et cum ipso Commentarii nostri proposito coniuncta maxime sint edita hoc tempore latina quaedam, quibus eiusdem saeri principis quasi summa praeconii continetur, ea ceterum brevissima hue referre arbitrati sumus. Prior serie temporis inscriptio est, quam ipse rogatus confeci libenter, eaque donum comitatur ab administris Congregationis saeri Consistorii et Conclavii delatum antistiti quondam suo:

CAROLO · NOCELLAE
EXPOLITIORE · DOCTRINA · ET · PIETATE · CLARISSIMO
QVAM · AD · VTRAMQUE · DIV · PERAMANTER
FILIOS · VRBIS · EXCOLVIT
ARDVIS · HONORIBVS · NAVITER · SANCTE · PERFVNCTO
OB · EA · QVE · MERITA
SAPIENTI · IVDICIO · LEONIS · XIII · P. M.
IN · COLLEGIVM · P. P. CARDINALIVM · ADSCITO
MVNVSCVLVM · CALAMARIAM · THECAM
MINISTRI · CONGR. S. CONSISTORII · ET · CONCLAVII
QVEIS · IPSE · PRAEFVIT · A · SECRETIS
LAETI · LVVENTES · DEFERVNT
GRATI · ANIMI · ET · OBSEQVII · MONIMENTVM
X · CAL. IVL. MDCCCCIII.

Altera inscriptio clarissimum habet auctorem Ferdinandum Pellegrini, doctorem graecis et latinis litteris tradendis in lyceo Vaticano, eundemque C. Nocellae alumnum:

MAGNA · DEI · PARENTS
CAROLVM
QUO · ROMANA · IVVENTVS
OLIM · MAGISTRO · ELOQVENTIAE · TRADENDAE
ET · ANIMIS · AD · VIRTUTEM · INFORMANDIS
VSA · EST
QVEM · MVNERIBVS · GRAVISSIMIS
NAVITER · PERFVNCTVM
MAGNVS · PONTIFEX · LEO · XIII
ROMANA · PVRPVRA · DIGNVM · CENSIVT
QVI · VIVVNT · HOC · TEMPORE
DISCIPLINAE · EIIS · ALVMI
ET · IN · LITTERARIA · INSTITVTIONE
SVCESSORES
TE · ENIXE · ADPRECANTVR
VTI · VIRVM · OPTIME · MERITVM
PROPIATIA · RESPICIAS · BENIGNA · SOSPITES
IN · PLVRA · QVINQVENNIA · FELICITER

(1) C. TACIT., *Ann.*, III, LXXV.

(2) *Orat.*, XXI, LXXV.

Sequitur eiusdem doctoris epigramma, subiectum imagini reens creati Patris Cardinalis:

*Dum Te consortem sacri ridet esse Senatus,
testatur civi gaudia Roma suo.*

*Vive diu: virtute magis quam insignibus inde
partis spectandus conteris invidiam.*

Post haec in spem erigimur, qui benevolo animo erga Commentarium nostrum in minori fortuna fuit, eundem ostro decorum ab illius cura, id est a causa latinitatis tuenda, minime recessurum.

PETRUS ANGELINI.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia Lansdowne marchio de Singidunensi caede acerrimum iudicium protulit, monuitque sese Singidunensem legatum iussisse ab urbe discedere, neque ante novum regem recognitum, quam regicidae digna poena mulcati fuerint. Rogatio approbata de abroganda iurisurandi formula, qua reges, antequam thronum condescenderent, utebantur.

In Gallia petitio de legitimo iure munendi sororum religiosarum sodaliciis, quae in pueras instituendas incumbunt, reiecta est omnino: rogatio vi-cissim approbata, ut summus belliceae rei curator suos tribunos centurionesque et milites omnes ut reipublicae inserviant quovis pacto cohibent.

In Hungaria Administris omnibus munus abdicitibus gravis est Caesaris cura, ut novum collegium eorum deputet; nam ex populorum disordiis sive Bohemorum, sive Croatorum, sive Hungarorum qui in regnum cooptantur, hand facile viri erunt, qui omnibus factionibus satis faciant.

In Italia rerum civitatis et classis administri, Goliottius ac Bettolo officium sponte dimiserunt.

In Servia coactio ob regis caudem comititis ad novum regem eligendum, post Avacumovic praeisdidis brevem orationem, Petro Karageorgevic e regia stirpe, unde fuit Serviorum primus ille a Turcis vindicta, legati renuntiarunt.

In Uruguayana republica rogatio proposita, ut publico aere in Montisvidei porto nova via maximis navibus appellendis paretur. Summa expensum ad probandum oblata est, quae pari numero inde pecuniam, inde expensas aequatas tandem exhibeat.

SCRIBA.

AENIGMATA

I.

Sum verbum? Potero te compellare canentem.

Sum nomen? Fures a lare pello tuo.

II.

Lucem pello, fero tenebras. Si littera paulum ultima mutatur: vestio rite pedem.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHII
DE STILO PLAUTINO
ACROASIS.

Aenigmata an. VI, n. IX proposita his respondent:

1) Particula — Particulo; 2) L-e-o.

Ea rite soluta miserunt:

I. B. Pesenti, *Roma*. — Tr. Grottanelli; Herm. Gini, *Aquis Taurinis*. — Jos. Czudek S. I., *Bzozów*. — Eug. Sosio, *Bormio*. — E. Burg, *Argentorato*. — Dom. Farese, *Neapoli*. — Alois. Battisti, *Marauta*. — Petr. Garrone, *Pezzana ad Vercellas*. — I. Wilhelm, *Battle*. — Alois. Cappelli, *Senis*.

Sortitus est praemium

ALOISIUS BATTISTI,

cui missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE C. CORNELII TACITI OPERIBUS
ACROASIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

ogramma, subii-
ti Patris Cardi-
t esse Senatus,
suo.
nsignibus inde
nidam.
r, qui benevolo
strum in minori
ecorum ab illius
tuenda, minime
rus ANGELINI.

M COETUS
DIS.

de Singidunensi
lit, monuitque sese
ub urbe discedere,
urum, quam regi-
t. Rogatio appro-
rnula, qua reges,
utebantur.
ure munendis so-
e in pueras insti-
nino: rogatio vi-
ae rei curator suos
omnes ut reipu-
beat.
ibus munus abdi-
ut novum collec-
lorum discordis
sive Hungarorum
facile viri erunt,
nt.
lassis administris,
te dimiserunt.
dem comitiis ad
cumovic praeidis
orjevic e regia
ille a Turcis vin-

rogatio proposita,
tu nova via ma-
Summa expensa-
pari numero inde
tandem exhibeat.
SCRIBA.

A
lare canentem.
ello tuo.

littera paulum
pedem.

F. P.
nigmatis inter-
moderatorem
nus, sortitus,
lus:

HII
is respondent:
2) L-e-o.

Hern. Gini, Aguis
- Eug. Sosio, Bor-
aresse, Neapoli. —
Pezzana ad Ver-
belli, Senis.

ERIBUS

iurisperitus.
uggiani.

LE LAUDI LATINE IL CANTICO DEL SOLE DI S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncola, 1897

Hoc libello, praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro
rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latinae* cum inter-
pretatione italica, *Canticum Solis*, et illa *Speculi perfectionis* capita, quae
Cantici originem exponunt, aliaque permulta. Libellum hunc Iulius Sal-
vadore, litteris tradendis in Romano Athenaeo doctor egregius, maxima
edidit cura, ac Romae apud commentarii *Vox Urbis Administratorem* venit
L. 0.50, in pauperum levamen.

IUVENIS QUIDAM ITALUS MEDICINAE DOCTOR

artem suam profiteri cupit apud exterias gentes.
Si quis itaque officium aliquid ei offerendum habeat
certiore de re faciat

Commentarii *Vox Urbis* administratorem,
qui negotium aget.

VARIA

Novae laterum ducendorum rationes.

Conficiuntur nostris diebus lateres corticei,
frustula adhibendo quae ex huicmodi obtura-
mentis supersint, in fragmenta reducta, atque
calce extincta argillaque conglutinata. Tracta-
tioni huic forma aptatur per levem compres-
sum; inde lateres in furno torrentur. Minimi
ponderis, satis duros, haud facile calorem co-
municantes, quin etiam omnino refragantes
eos esse affirmant, atque ea ratione inter se
aptari, qua ceteri lateres connectuntur, maltha
scilicet ac gypso. Quod si pice ille veris ad
officinas reponendae nivis optime iisdem utaris.

Stramenti quoque usus in lateribus fabri-
candis, qui apud priscos Aegyptios viguit, re-
cens ab americano viro Acheson renovatus est.
Qui cum in aqua ad argillam temperandam
stramenti copiam ferventem fecisset, coementu-
mum inde inventum haud friabile nullamque ri-
tam agens. Ex chymica autem analysi certior
factus cohaerentiam hanc *tannino* deberi, quod
in stramentis continetur, hanc ipsam rem, optimo
quidem exitu, expertus est.

Haec argillae quae Aegyptia nuncupatur
origo et natura ad lateres ducendos.

Vitreum oppidum.

Hoc etiam in Americis. Ad Yellowstone Park,
urbem e nordicis civitatibus foederatis, oppi-
dum est vitreis molibus integre constructum,
ex antiqua vulcanorum vi derivatis. Praeter
colorem, fuscum plerumque aut nigrum prorsus,
vitrum hoc haud multum differt a vitro
quod arte fit. Facile secatur, caeli temperiem
patitur; uno verbo ad aedificandum optimum
visum est.

FORFEX.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 X 0.24)

qui socii commentarii VOX URBIS dono datur
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS administratorem.

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

TORQUATI TASSI

HIEROSOLYMA LIBERATA

a JOSEPHO TORALDO e versibus Italicis in
latinos conversa,

apud *Vocis Urbis* administratorem
ven. lib. 6.

EPISTOLARUM COMMERCII.

SOCII ILLI, novi praesertim, qui numerum Com-
mentarii nostri huius anni II^m nondum re-
cepérunt, patienter moram ferant; ipsius
enim numeri, et aliorum qui absument sunt,
editio altera proxime prodibit.

Cl. viro MIC... Fus., Formicolae. - Scripta
de arguento quod delegisti innumera, ea-
que ne incompeta quidem, apud nos habemus;
omnia vero praeterire cogimur. Numerum enim
Vocis Urbis Viro illi totum
suo tempore dedicavimus; in re autem
insistere, cum nova haud praebeatur occa-
sio, inopportunitum videtur.

Cl. v. AEM... CR.... Florentiae. - Quae in tuis
litteris adnotasti mihi apprime probantur.
Credo tamen Vallaurum suis verbis non
unum, sed duos ipsos sensus, quos tu optime
deprehendisti, significare voluisse, ita
ut pro re nata circuitio altera adhibenda
sit. Identidem enim Morelli: *Versatus in
sacris expeditionibus per Thraciam* (V. 126),
et: *Expeditione Dalmatica populis ad pictatem
excōlēndis* (V. 115). In suo autem lexico
Vallaurius habet: *Evangeliī praeaco, Evan-
gelizator.*

Cl. v. HIL... DOS.... Chicagine. - Equa tam
diurni silentii causa?

Cl. v. FR.... PAL.... Prostejov. - De omnibus
quaes misisti plurimas tibi gratias referimus.

A. SECRETIS.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Fr. BERNARDINO DA MONTICCHIO. La pre-
ghiera dei grandi. Spigolature attraverso la
storia. — Mutinae edid. off. Pontificia et Archiepiscopalis « Immaculatae Conceptionis »,
MDCCCCIII.

Naufragium. Elegia VITI LO DUCA. — Ce-
phalaedii ex typis Salvatoris Gussio.

GENNARO ANGELINI. La colonia del Ben-
adir, e le missioni cattoliche italiane. —
Romae edid. off. Salesiana, MDCCCCIII.

P. d. V.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMM. VOX URBIS IN AN. MDCCCCIII

Premium subnotationis est in Italia Libell. 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½; Coron. 15 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARI "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCII CONSTITUTA.

Qui pretium ut supra miserit infra lanuarium mensem anni MDCCCCIII, praeter Commentarii numeros omnes qui edentur ipso anno MDCCCCIII, accipiet *ad libitum*

a) Librum (vulgo «album») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, atque Commentarii moderatore iubente expresse adstructum; *sive*

b) Urbis e Ianiculo monte prospectum (Tabulam aere cusam metr. 1,10 × 0,24); *sive*

c) Collectionem chartularum electissimarum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

QUI NOVOS DABIT SOCIOS

elget insuper:

a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de Ecclesiasticis rebus quolibet e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae sua, id est in Italia ad Libell. 5; extra Italiam ubique ad Libell. 7,50; Marck 6; Sch. 6; Doll. 1½; Rubl. 3; Flor. 3½; Coron. 7½. Ipse electos libros describat atque Commentarii administratori significet; gratis mittentur, excepto impendio diribitorio Reipublicae debito; *sive*

b) E picturis Urbis grandes duas, photographice redditas, prouti voluerit ac significaverit; usque, ceu supra, ad dimidium annuae subnotationis;

c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis premium ei remittetur qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (c) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi *gratis* Commentario fruantur; sin, possint amico favere, Commentarium dimidiato prelio praebentes.

Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios novos umquam existimabimus eos, qui nomen suum olim iam Commentario dederunt.